CORONA SEPVLCHRALIS.

SIVE

DE SERENISSIMI

ALEXANDRI

CAROLI

POLONIÆ & SVECIÆ

PRINCIPIS

LAVDIBVS

ORATIO

M. BALTHASARIS STANISLAI PRZY-
LVSKI P. D.

CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouienſis, Anno Domini, 1635.

Quî poteſt fieri vt eius nobis amara mors non ſit, cuius dulcis fuit vita?

Auguſtinus.

quodammodo immortalem. Volui & ego Illustrissime Domine, aliquid dignum hominum auribus efficere atq; edere; sed id assequi tarditate, vt par est, non potui: cum hoc tamen, quantulumcunq; est, aut si quid omninò est, sub patrocinium confugio tuum, eamq; Coronam sepulchralem, non ex apio (vt Græcis mos fuit,) at ex virtutibus Serenissimi Principis concinnatam, tuo amplissimo nomini, qua possum animi submissione offero atque consecro. Scio plurimos fore, qui mihi vel inconsultam rationem, vel, crassiori verbo temeritatē, attribuent; quòd essē ausus, de tam sublimi argumento Tibi viro adeò limati & perfecti iudicij quidquam inscribere: sed malui in quoduis horum incidere, quàm seu pro tua in me singulari voluntate, sordidæ ingratitudini suspicionē dare, seu de eo Principe silere, cuius vitam laudatissimam omnis loquetur sæculorum ætas. Suscipies itaq; Rn̄dissime Domine, hāc exiguam operam meam; & quem toties tueri atque ornare humanissimè es pollicitus, eum à tuæ beneuolentiæ portu securissimo nunquam excludere velis, per ipsam benignitatem obtestor. Crede mihi, permanebunt omnia munifici animi in me monimenta tui, quem ego reuerenti obsequio, & memoriâ prosequi statui sempiternâ. Cracouiæ 8. Februarij, Anno D. 1635.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ C. V.
deuotiss. BALTHASAR STANISLAVS PRZYLVSKI P. D.

Illustrissimo & Reuerendissimo Dn̄o,

D. IOANNI LIPSKI

REFERENDARIO REGNI, ABBATI WĄCHOCEN.

Præposito Cracouien̄. Regenti maioris Cancellariæ Regni.

Domino & Patrono Colendissimo.

SErenissimus Princeps ALEXANDER sepultus est; si modò ille sepeliri potuit, qui, sicut viuens suis præstantissimis virtutibus omnium studia sibi comparauerat: ita iam mortuus in gratissimorum animis Polonorum conditus & collocatus hærebit, atq; totius memoriâ Sarmatiæ perpetuò aletur. Nolo hîc quenquam ex amicissimis Alexandri nominare; Tu ipse Illustrissime Domine, qui es cultor fidelissimus Regiæ domus, quantùm tibi ille fuerit cordi, quàm tu illi, posses clariùs exponere; nisi aut præsens dolor tuā impediret vocē, aut tu modestissimè de te sentires. Verùm et post eius obitū præclarā satis & luculētā declarasti obseruantiā; cùm ipsius prosecutus es perluctuosū funus: cùm in ipso itinere lachrymas profunderes: cùm item vsq; ad tumulū omne officij genus præstares, vt nullus omninò in Regiam Sobolem

esse pro-

esse propensior, nullus obseruantior & officiosior præ te videretur. Nimirum testatus es, tum vel maximè Rempub. florere Polonam, cùm in ea Serenissimi Principes pro sua coluntur maiestate. Sed quid ego te solùm ob hunc lugubrem actum suspicio? semper & vbiq; talem te præbuisti, qualem tua dignitas tam illustris, tantaq; muneris amplitudo exposcit. Verecundiùs hîc dicerem, si meo nunc iudicio vteter, non alieno. Quantò enim tuam maiorem experior beneuolentiam; tantò me posse minus de tuo genere, virtute ac doctrina dicere putabis. Nunc verò quum Te Deus Opt. Max. virum in Ecclesia magnum esse voluerit, & Rex Clementissimus Vladislaus tam recentium, quàm anteactorum in Repub. meritorum tuorum ampliorem cogitet testificationem; dico in te, quasi quoddam in sydus splendens omni virtutũ laude, omniũ oculos esse conuersos; omnesq; tuam grauitatem morum, sermonis sapientiam, pietatis ardorem, continentiam, hospitalitatem & amare, & admirari vehementer. Ipsum mehercule hoc Elogium Funebre, *quo Principem Alexandrum ad omnem posteritatem cõmendasti, tantam nobis admirationẽ mouit; vt qui modò Alexandrum desiisse dolebamus, iterum in tuæ maiestate orationis viuere videatur cæpisse. Sic ô Princeps optime, viuis virtutum gloriâ, & quandiu hic sol terras aspiciet, viues; & quod tibi immatura mors ademit, id supplent magnorum ingeniorum flumina quæ ex mortali homine, laudibus carminibusq; suis te reddunt*

quodam

ORATIO.

VIXISSET vtinam longiorem vitam Serenissimus Princeps ALEXANDER. Equites Poloni & Rempub. pulcherrimam Patriam omnium nostrûm, ampliùs suo conspectu multò iucundissimo, atque singulari ac verè Regia in bonum commune beneuolentiâ recrearet. Futurũ enim fuisset, vt quẽadmodum ille meritorum suorum præclarissima testimonia: ita Resp. virtutũ eius fructus amplissimos accepisset. Profectò cùm intueremur diligentius, & contemplaremur viuẽtem laudatissimè ALEXANDRVM, capiebamus animo mirifica gaudia, & gratissimè ferebamus. quòd ex tot populis re-

periri vidimus neminem, cui salus ipsius per quàm cara non fuerit, cuius non exstiterit de eo desiderium incredibile merendi præclarè. Gratulabatur sibi Respub. vniuersa, apud se natum ac educatum Principem, qui bellicosos Scipiones, eximios Paulos, Pompeios gloriosos, Lescos illos egregios, Boleslaos primos. Iagellones, aliosque innumerabiles bonos & salutares Poloni sanguinis & Romani Heroas sedulâ imitatione, quantũ ætas sua pateretur, rudibus adhuc armorum annis exprimere esset conatus. Gaudebat Senatus. potuisse eum videri, quasi alterum Traianum; à quo & pacis ornamenta retineri, & belli pericula animosè repelli, & omniâ quæ sunt in imperio, atque in statu ciuitatis defendi ac stabiliri optimâ ratione summaque facilitate valuissent. Exultabat populus, cum oblatum & datum suis rebus fuisse, quem natura ipsa ad libertatẽ propriam generis ac nominis Poloni. tuendam,

ad oti-

ad otium cum dignitate seruãdum. ad continentiam, grauitatẽ magnitudinem animi, iustitiã fidẽ, ad cęteras deniq; virtutes, studia conciliantes omnium, & admirabilem ac pergratam cum vtilitate honestatem habentes, magnum hominem & excelsum finxisse videbatur. Ad extremum cuncta militia Sarmatica reuixisse sibi ALEXANDRVM, lętabatur, nõ modò nomine, sed reipsa magnũ, cuius aliquãdo auspicijs, sperauit fore, vt ferocientes barbarorum incursiones, eorundem stratis intercluderet cadaueribus, atque anniuersarium in nos còércеret furorem. Ita præstantissimo Principe viuente, nullus ordo, nulla prouincia, nullus populus fuit, qui non aliquâ spe maximarum in Principe ALEXANDRO virtutum aleretur. Sed ecce lugubrem rerum permutationem, dum ægrè inter homines appauisset florentissimus; propè idem dies, qui eum ostendit, idem ipse nobis subduxit lu-

ctuosè. Exstinctus enim ille, qui futurus erat Patriæ libertatis propagator, Religionis defensòr, innocentiæ tutor, vltor scelerum, metus malorum, gloria bonorum, fulmen terribile hostium, omnisque publici commodi fidelissimus amplificator. Exstinctus ille, in quem exteræ nationes, velutinon ad niuosum Septemtrionem natum, sed cælo diuinitùs datum oculos conuerterant; tum demùm firmiùs credentes, existere homines Polonos ad amplitudinem, & gloriam progenitos; tum spem concipientes, ALEXANDRVM fore dignissimũ, cuius sapiẽtiæ, fidei, potestatiq; omnis Reipub. dignitas, aræ, foci, bona, fortunæ, omnia amplissima committenda credendaque viderentur. O spes fallaces, & inanes hominum Principumq; cogitationes! ò fluxam, caducam, & instabilem mortalium conditionem! Quàm citò illa omnia ex lætitia & voluptate ad fortunam miserã & luctuosan

rec-

reciderunt; vt qui, paulò antè formæ honestate, ac heroicarum virtutũ gloriâ facilè alios superasset, retineret repentè nullum vestigium pristinæ venustatis. Quid ego in hoc tanto dolore animi dicam? aut quem tantæ acerbitatis consolatorem quæram? Regemné Potentissimum? at is ipse nequit cùm frater amantissimus atque optimus est à sua diuulsus maiestate (quẽ ne nũc quidem sine gemitu cõmemorare potest) inficiari se esse hominem, & communem naturæ sensum repudiare. An reliquos duos Principes Serenissimos? at illi distracti ab vltimo complexu fratris charissimi, eius funus, suum, præ lachrymis, funus arbitrantur; nec sibi Stoicam asciscunt sapientiam; quasi ferreum & immobilem in turbidis rebus consistere terminum, omnemque animi duritiam in casibus infestis perferendis (sicut corporis, quod cùm vritur, non sentit) stuporem potiùs, quàm virtutem repu-

 tant.

stant. An Senatum diuinâ & humanâ clarissimum sapientiâ appellabo? verùm & hic dolet non mediocriter, atque acerbè sustinet, interijsse eum ALEXANDRVM, quem toties ex amore & honore, aut nunquam nasci, aut nunquam mori debuisse, proclamare non dubitauit. Quid igitur? Ad vos, ò Poloni Equites, omnis mea conuertitur oratio, à vobis solatium, fauorem petit à vobis; non quôd non simili afficiamini mærore, in doploranda tanti Principis ruina; sed quemadmodum ille statuerat vestram voluntatem, & Reipub. dignitatem, & salutem prouinciarum suis omnibus commodis & rationibus præferre oportere: ita vos hoc tẽpore immortalem eius gloriam iucundâ necesse est prosequi recordatione. Et quod vel primum est, me, quicquid operâ, studio, labore, diligentia, quicquid facultate exigui ingenij, dicendi mediocri exercitatione aut disciplinâ possum: id omne ad recolen-

colendam ſpectatiſsimam ALEXANDRI O-ptimi vitam ad celebrandam illuſtribus encomijs ipſius indolem, ad recordationem ſuauiſsimam virtutum eius eximiarum, in hac Corona ſepulchrali libentiſsimè deferentem, æquiſsimis animis quæſo obteſtorque audiatis.

Enimuerò cùm tantum Principem, è vita ſublatum luctu & ſqualłore orbitatis obſiti cernimus, atque tam grauem nobis, tam inſignẽ illatam percipimus iacturam; nimis acerbo & miſero ſpectaculo, nimis funeſto triſtique exemplo, vis ac fortuna vt ita dicam, fatalis oſtendit, neminem eſſe, ita communi naturæ lege exemptum, quem mortalitatis dura prætereat neceſsitas. Nãque ſi quid in mundi vniuerſitate, ab hac immutabili fatorum ſerie liberum ac ſolutum foret; quis, obſecro, vel generis, vel naturæ, vel proprijs ornamentis ac ſuis, vel vlla pulcherrimarum rerum luce præſtantior.

cam

eam certiùs immunitatem fuiſſet conſecutus, hoc ipſo ALEXANDRO Principe? quum nullius tanta ſit eloquentia, nullum tantum flumen lectiſsimorum verborum, nulla ſententiarum tanta vis, tantaque claritas, quæ ſe ampliſsimis illius virtutibus, atque animi dotibus inuſitatis, digna elogia facere poſſe confidat. Ac in primis ALEXANDER ſumma dignitate Princeps. auis, proauis atauiſque ortus Regibus fuit. ijſque Regibus, cùm quibus in vniuerſo terrarum orbe, vix aliqui, ſeu magnitudine animi & fortitudine, ſeu pietate in Deum Max. & rerum geſtarum gloriâ comparari queunt. Nec credibile eſt, quempiam eiuſmodi tam imprudentem vel impudentem potiùs in conſequenti poſterirate futurum, qui plures à ſuperis tales & tantos maiores tacitùs audeat exoptare; quales & quanti huic Principi in vitam venienti, & nihil adhuc cogitanti contigerunt. Non repeto memoriam

riam illius Diui Regis Iagellonis, cuius admirabilis regnandi ſapientia erat non Sarmatię modò, ſed cunctarum nationum imperio digna. Cuius ſi pietatem conſideres omnibus ſæculis prædicandam, primus è Lithuania fortium virorum feracíſsima regione, inueteratam idololatriæ ſuperſtitionem penitùs cum fibris ſuis euulſit, atque à turpiſsimi cultu ſui Percuni, ad templa & aras puriſſimę Religionis adduxit. Si ſtudia in Rempub. noſtram æternâ immortalitatis laude cõſecranda; hanc antè feram & indomitam, omni literarum genere ac Muſis ipſis tam Latinis, quàm Atticis expoliuit, conditoque Cracouiæ Lycæo, de quo tanquam ex equo Troiano iunumerabiles viri, virtute, ingenio, doctrinâ florentes ſemper prodeunt; Sarmatas ab agreſti, ad ciuilem, ab immani ad mitem, à barbara ad doctam, ab humanâ denique vitâ ad diuinam vocauit. Si poſtremò animi excelſi atque inuicti

robur; ingentes hostium & firmissimas de-
leuit copias victorias atq; triumphos retulit
varios & infinitos, trophęa gloriosa de pugnis
felicissimè pugnatis victor cõstituit multa:
solúsque inuentus est, qui in acie, vno fu-
sis pręlio. confectisque Germanorum quin-
quaginta millibus, Germanos à Polonis do-
cuit auspicatò posse debellari. Pręterco
Vladislaum dignissimum filium patre Iagel-
lone. ac imperij successorem omnium a-
cerrimum, qui cùm maiori virtute, quâm
ætate, animo præstantiore, quàm corpore
robustiore fuisset; rexit duo Regna amplis-
sima Poloniæ atquê Vngariæ, summa & in-
credibili dexteritate: ac tandem cùm illo-
rum apud Varnam ageretur salus, memor
Poloni sanguinis, oblitus sui, animosior De-
cio Romano in confertissimas Amuratis co-
hortes sese immisit. ibi que est pro breui &
mortali conditione, vitæ æternitatem con-
secutus. Missum facio Casimirum fratrem
eius

eius fortissimum iustissimumque Regem; à quo si non Mahometes Turcarum Tyrannus esset ex Valachia expulsus; non Prussia & Pomerania maximo bello perdomita; non Moschouia debilitata; Scythia sæpè repressa, pax postremò, otium ac tranquillitas armis atque legibus in suo regno diligenter custodita: tamen sola beatissima proles Casimirus in Diuos relatus, satis esset ei ad commendationem, ad gloriam perpetuam celebri fama vbiq, proferendam. Verùm Diuorum Prædecessorum recensendis trophęis, huius Serenissimi ALEXANDRI virtutes meam auocant orationem, quę ad hunc ipsum Principem tota festinat velociùs. Mitto celeberrima aliorum Regum merita & beneficia, cùm illis pro debito ornandis nec tempus, nec locus sufficiant. Sigismundum primum sileri patior virum omnibus tam bellicis, quàm religionis laudibus cumulatum, qui cùm tot annis & in

tanta orbis perturbatione faustissimo omine summæ Reipub. præfuisset, bellaque genere maxima, contentione laboriosissima, dimicatione difficillima, complexione partium implicatissima, temporis diuturnitate longissima confecisset; meritò Sueci, Bohemi, Vngari admirati in eo istiusmodi virtutem, expetebant ad sua regna suscipienda: Poloni cum Silesijs grauitatem amabant & constantiam singularem; Barbari Scythæ & Germani ad nominis eius celebritatem facti quietiores compositis armis potentiam cum felicitate iunctam reuerebantur: Taceo Sigismundum secundum maximi Regis magnam progeniem: qui cùm in maximis fluctibus Regnum hoc feliciter tractasset, procellas in nauem Reipub. incumbentes, distractis Lithuaniæ & Sarmatiæ ad inuicem studijs; tam dissentientem animis & moribus & sermone populum ijsdem legibus & libertatibus sedauit, vniuit. Omitto & illum, quo Patre natus est ALEXANDER

Prin-

Princeps Sigiſmundum hoc nomine tertium Regem inuictiſsimum, verè Patrem Sarmatûm, terrorem hoſtium, belli firmamentum, pacis ornamentum, præſidium ſtabilitatis decus & ſplendorem noſtræ dignitatis; ita vt quæcunq; lumina in templis, quæ in foro, quæ in regno ac in moribus verſantur Polonis, hæc omnia accepta referre debeamus prudenti, pio, benefico, atque clementi Sigiſmundo. Sileo VLADISLAVM quartum potentiſsimũ Monarcham, quẽ ille fratrem ſortitus erat, nobis mirifica Dei benignitate, ad id Regnum florentiſsimum Europæ propugnaculum ſeruandum, ad illibatæ domicilium libertatis fouendum, ad noua condenda imperia donatum; in cuius laudum comparationem quiſquis es, da mihi Ageſilaum, da Cyrum, da Pyrrhum, da Alexandrum; da Cæſarem ipſum Iulium, Octauianum Auguſtum, da omnium gentium, omnium ſæculorum, omnis penè me-

moriæ Reges, Principes, Imperatores; ego quidem illos omnes bello claros, pace iustos, consilio graues, animo generosos extitisse fatebor: VLADISLAO tamen quarto, tantâ sapientiâ, tam inusitatâ inauditáque fortitudine, tanto in summa potestate rerum omnium modo, tam denique incredibili iustitia, ac propè diuina clementiâ Regi, pares nulla ratione affirmare possum. Non commemoro igitur Regiæ huius stirpis ornamenta, quæ etsi in ipso ortu tam magna vidistis, vt maiora forsan esse haud possint; ea tamen quasi aliena putauit, nisi de suis clarissimis factis lumen Patriæ attulisset. Equidem istorum periucunda memoria luctu animum languentem excitat, vocem & linguam dolore non mediocri interclusam soluit, & restituit; vt vehementer cuique dubitandum sit maiorumné præclarissima facinora & innumerabilia, an ipsius laudes pulcherrimas sibi ad imitandum pro-

ponat. Habet enim Heroica & excellens virtus, Equites Poloni, vt non tantùm in Fabio, Catone, Annibale, cæterisq;, qui fuere senes, sedē collocet suam; verùm multò etiã splendidiùs eluceat in Mucij Scæuolæ, in Scipionis Africani, & M. Bruti, iuuentute; magisq; Pompeio magno faueat adolescenti de Africa & Hispania, de Mithridate & Tigrane opulentissimis Regibus, bellicosissimis nationibus magnificè triumphanti, quàm eidem seni in campis Pharsalicis maximè attonito, & de potestate rationis quasi deturbato turpiter & ignominiosè fugienti. Itaque & Princeps Alexander, in eo quamuis ætatis flore tam eximio ad commemorandum, tam grato ad audiendum, tam iucundo ad cogitandum ex hominibus abijsset: nihilominus ita in se perfectam & ad summũ perductam possidebat naturam, vt si nõ maior maioribus suis, at liberalitate ingenij, dexteritate, & altitudine animi, & af-

fectu Patriam in communem æqualis certè fuiſſe videretur. Etenim quæ monumenta atq́; genera honoris illos meruiſſe dicetis, inter quorum laudes non ego locum huius peraugusto nomini oſtendam? An illam Iagellonis optimi & diuini Regis, erga honeſtiſsimarum artium diſciplinas, nunquā ſatis celebrandam mentem & voluntatem, illū́que cæleſtem quendam animi impetum ad colendas literas atq́ue ad proferendos humanitatis fines, deſideratis? aſt cùm illuſtre ingenium à natura & velox & acutum ALEXANDER accepiſſet, non in voluptatum illecebras peſsimam peſtem iuuentutis, non in amorum & deliciarum blandimenta, quibus facilè virtus ſopitur, non in ſpoliādam deniq; pudicitiam alienam contulerat illud: ſed hominum integerrimorum, probatiſsimorum, antiquorum more, prudenriam matrem & oculum omniū virtutum tam ſagaci operâ, tam acri ſedulitate,

tam

tam ſtudio incitato, ita animo indagare, ita viſu aucupari, ita conſeruare memoriâ ſolitus erat, vt prudentem eſſe, quàm Principem, magis ætati ſuæ decorum ac honorificum iudicaret. Teſtatur id copioſè eius doctrina, quam monitis & prouidentiâ Patris Regis ſapientiſsimi, naturâ ſua imperio regali aptâ, præceptis atq; inſtitutis, benè viuendi magiſtrorum perceperat; non argutulam illam, & nihil agentē, ſed vtilem & expedientem, non ad pompam aut ſpeciem, nec vt nomine magnifico ſegne otium velaret; ſed quò firmius contra fortunæ tela præſidium ſumeret, quò officium Principis ac munus, vultum, inceſſum, habitum componeret humaniùs, quò mentem, linguam ac rationem propriam ad verum ornatum vitæ, ad Reipub. propagationem cum maiori laude dirigeret. Teſtantur colloquia, initaq; conſuetudo, cum clariſsimis & eruditiſsimis viris, qui miram grauitatem, & magnarum rerum cupiditatem in iuuene obſtupeſcentes, omnia dicta

 eius

eius, omnia quæsita audiebant de moribus populorum, de vitis Regum, de robore hostium, de factis veterum, de legibus & administratione omni Rerumpublicarum. Testātur temporum, locorum, hominum, rerum gestarum nauiter ab eo & quotidie monumenta tractata; ex quorū amæna lectione, veluti ex fonte quodam atq; totius honestatis radice profluere aiebat illā verissimam disciplinā & exercitationē ad res ciuiles, hauririę; cognitionē fructuosissimam, quæ sint bonum virtutes, & improborum vitia, quæ vitæ humanæ mutationes, & rerum in ea conuersio, quæ itidem mundi huius inconstantia, & præcipites ac fatales imperiorū casus. Quid aliud egisse opinamini Sigismundos illos, primum, secundum, tertium, Reges Poloniæ gloriosissimos, quorum illustres sentētiæ acutæ sanè & multæ nō minus herculè, quā ipsæ actiones, habent admirationis? O te beatam Poloniam, ô ter quaterq; Sarmaticam felicem Aquilam! cuius nobilissimæ propagini,

nihil

nihil aliud agere, nihil loqui, nihil cogitare libet, nisi quod verè sit, aut in alto & excelso positum, aut cum laude & præstanti gloria cōiunctum, aut longè lateq; Reipub. promouens felicitatem. Equidem nō est mei ingenij talia explicare; te modò felicem hoc nido Aquilam, felicē tanta stirpe Poloniam, quoad vita mihi, non desinam proclamare. Quo nomine & tu faustißimus es (te enim iam appello) Princeps ALEXANDER, cuius adolescentiam augustis in penetralibus Regiorum parentum educatā, in turbulentißima fluctuantis ætatis tempestate constitutam, inter honorum omnium ornamenta, inter fastum & pompam, vno verbo, inter regalem opulentiam & blāda animorum oblectamenta, nullæ Syrenes perniciosæ voluptatis cōciliatrices valuerant reuocare, nulli inhibere Syrtes, nulli retardare vortices, nulli scopuli remorari; quò minùs lumine literarum animum tuum illustrares, atq; ad virtutum Pharon clarißimâ lampade insignem securus peri-

culoſi naufragij enatares. Non rarò alij ab hac moderationis & honeſtatis deflectunt orbitâ, atq; per omnia vitæ blandimẽta, aut famã aut admirationẽ quærunt: tu ſpreto abiectoq; omni genere voluptatum, ſine vllo caſu, ſine prolapſione iuiſti glorioſus viâ decoris, viâ dignitatis. Aliorum fuit totos ſe ad omnem viuendi licentiam dedere & proijcere: te annalium monimenta iuuabãt pariter & oblectabant in vniuerſo tuæ vitæ curſu; te in exemplis tanquam in ſpeculo ornare & componere ſolebas ad illuſtrium virorũ optimas actiones; tu pudorem, continentiam, frugalitatem, fidelibus adhibitis animi cuſtodibus ratione & bonarum artium diſciplinâ integrè conſeruabas; denique cùm in gyrum freno circumageres equum, ipſe priùs tuas refrenabas cupiditates; virilis antè annos ſpecimina fortitudinis exhibebas, exercitatione militari tuis victorijs conſequentibus præludebas, & inter æquales (ſi quiſpiam fuit tibi æqualis) magno auſu futuros ali-

ros aliquando triumphos metiens, vnum animi, non nisi maximi concipiebas votum, hyemes agere sub pellibus, æstates inter bella sudare, dies noctesq; præliando aut vigilando consumere, grauissimas pugnas quacunq; terrâ subire, omnes acerbitates, omnes sollicitudines perferre vt fortiter ita libenter, dummodò tuis laboribus Senatui populoque Sarmatico dignitas, fortunę, libertas, salusq; augeretur. O crudele nimium & acerbum fatum, quod te Principem tanti animi, tam immaturo funere & in opportuno abstulit Reipub. Polonæ! In te enim vnum quoties ora atq; oculos conuerteramus: toties de virtute, dignitate, existimatione maiorum tuorum cogitabamus, toties nobis intuentibus Chobri, Criuousti, Crispi, Pudici, Lesci Albi, Loctici, toties Iaggellones, Vladislai, Casimiri, Sigismundi aui atauiq; florentissimi tui veniebant in mentem. Tu vi ingenij solertissimus, in aduersis patientissimus, in secundis moderatissimus, laboriosissimus,

temperatissimus fueras; vt quot prata floribus, quot stellarum ignibus ille orbium æther est vermiculatus, tot in celsitate tua versari, & quodam pacto residere excellẽtium genera virtutum crederentur. Quæ cum essent gratiores à fronte illa erecta & serena, ab oculis clementiam & grauitatem spirantibus, à vultu venusto, à tota illa decentissima statura venientes tuâ; nunc te in eo ætatis flexu, ita insperatè extincto, gaudia vniuersa, gratulationes, laudationes, luctu, mœrore, gemitu, sordibus & squalore sentiũt interclusa esse: nunc inquam (non aliter, quàm de Numerio vate querebãtur Musæ, quòd illas ab arcana sua cella euulsisset) illæ cum iniquissimis expostulant fatis, quoniam eas à te suis delicijs, suis ornamentis excluserint; quoniam eas ab amænissimo & formosissimo tui corporis domicilio extorserint, ablegarint. Ita sanè Equites Poloni, non modò humanis pectoribus, sed ipsis etiam integerrimis virtutibus, si quis eis affectus est, ex hoc

interitu deplorando, triste tempus & calamitosum euenit. Verùm ad illud, vnde grauioris acerbitas mæroris nos deduxerat redeamus; & quęramus, quænam istæ præter hanc egregiam animi pulchritudinem & præclaram probitate ingenij indolem in nostro Principe lucebant virtutes; quibusque tantoperè patrimonium gloriæ sibi à maioribus relictum & tueri & ornare consueuerat? Atque hîc profectò dicent alij, quibus vberior dicendi facultâs tributa est, religionem Patriam, atq; cærenonias sanctissimas tantâ veneratione & mente & voluntate ab eo cultas, vt nihil melius, nihil religiosius, nihil item dignius esset, cui ista lumina incensæque faces, isti ignes, qui signa sunt atque notæ illius ignis diuini & reconditi; quo fides ipsius ardebat in Deum ad vltimũ vsq; spiritum; charitas autem ipsa sese effundebat erga omnes nullâ vnquã perfidiâ violata. Cõmemorabunt amabilem modestiam, placabilitatem, mansuetudinem, comitatem, verecũdiam

diam grauitate aſperſam, lenitatem, benignitatem in vniuerſos, aliaq; illius planè incredibilis indicia humanitatis, clemētiæ, quæ Cæſarem apud ſuos Deum fecit, quæ Auguſtum conſecrauit, quę Antoninū inprimis pij nomine laudabiliter adornauit. In ſumma, quandiu Aquila Polona acerrimum ſenſum oculorū ſole paſcet immortalis gloriæ: quandiu glorioſis factis, quaſi pennis præpetibus hanc nimis abiectā & humi repentem mortalitatem trāſcendet: tandiu magnitudo illa & excelſitas animi ad facienda & patienda fortia prognata, omni laude, prædicatione, literis, monimentiſq; decorata vigebit infinitæ memoriâ poſteritatis alēda. Ego verò interea Equites Poloni ipſam eiꝰ exterorū peragrationem, quam in diſsitas ſuſceperat Italiæ partes, eiuſmodi fuiſſe affirmo, cuius ſimilem antè hac ex prudentiſsimis quibuſq; ſcriptoribus aptiùs & artificioſiùs verbis depingere, potuit nemo. Nam quę vis alia, niſi publicæ rei incredibile ſtudium ornandæ inflā-

mauit

mauit ALEXANDRVM, vt poſthabitis & neglectis cōmodis priuatis, atq; domeſticâ tranquillitate, in exteras prouincias tantam longitudinem itineris, tantam aſperitatem viarum prompto & alacri ſubiret animo? Nunquid eum peregrinæ illexerant illecebræ, vt earum pernicioſas pateretur incantationes? at compertum habuit, quàm voluptates blandiſſimæ dominæ ſæpe maiores partes animæ à virtute detorquent; & quàm turpem in modum Anibalem indomitum illum niuibus atque Alpibus virum fomenta Campaniæ eneruarunt. Germanicas cernere concænationes & conuiuia ſtudebat? at ingenium potiùs, & ſubtilitatem, & magnos erectoſque animos in illis habitantes locis ſuſpiciebat. Hiſpanicum faſtum & Africanum ſupercilium notare auebat? at iſtam peſtem peruerſi iudicij aurâ blandientem omninò reiecit, celſaque non efferri fortunâ, optimæ menti commendabile ſemper putauit. An leuitas & vanitas indita Gallis eum impulerat? at virtutes modò toto or-

 be no-

be notiſsimas in his gentibus maluerat, quàm maculas animorum imitari. An iuuenilis ardor, & quædam exultantis ætatis incõſiderata temeritas? at quid illius, quæſo, cogitatis grauius, morum temperatione conſtantius, & moderatius habebatur? fortaſsis illi, ſi dulcis peregrinatio, amara fuit Patria? amantiſsimus ipſius erat: fortaſſe regimen Reipub. non probatum eſt? imò de tot Rebuſpub. nullum pręter Polonum, legum autoritate, adminiſtratione, libertate, maieſtate florentius ac felicius viſum ei fuerat imperium. Diſceſſerat igitur in exteras prouincias non vt præcipuè artificioſorum amænitatem hortorũ, non vt riuulos gelidarum aquarum ſuauiter per occultos tubos vel in ſummũ collis iugum erumpẽtes, vel in organorum muſicorũ fiſtulis ſonum edẽtes, reliquaſq; pellucidi ac murmurantis fõtis blanditias videret: ſed vt maximarũ rerum omniũ vſu, ſumaq; peritiâ agẽdi inſtructꝰ ad regni tuẽdã accederet incolumitatẽ: diſceſſerat, inquã, ne virtus eius in tãtum excreſcens vnius imperij can-

rij cancellis circumdaretur; verùm in lucē omnium gentium prodire voluit; & quasi satis in hac Repub. didicerat, orbē vniuersum tanquā famę suæ gloriosum theatrū habere cupiebat; illamq́; cōsentientem bonorum omnium de virtute ac morum præstantia suorum existimationē per diuersas celebriter propagare nationes. Scilicet diuinæ istę, & pretiosis dotibus exaggeratæ mētes cælum imitantur, & gaudēt perpetuo motu; atq́; sicut sol Dux & Princeps & moderator luminum reliquorū, vnâ nō cōtentus plagâ, in omnes etiam remotissimos locos dissipat radios suos, & cuncta lucis face lustrans ac cōplens in omni viuētium genere cōcitat sui amorē: non dispari ratione virtus illius splendorē suum ad longinquas regionum partes effundens, speculum quoddā orbis, & cæli deliciū apparebat. Memorare in præsētiâ possem, quàm dum per ciuitates exterorum proficisceretur, non ætas quenquā, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus omniū in se conuerteret admirationē. Possem exponere,

quemȧdmodum Cæsar inuictissimus Ferdinã-
dus secundus sceleratissimarum euersor cõspi-
rationum, & Beatissimus ac potens supra om-
nes potẽtes Pontifex Vrbanus VIII. (quos sum-
mæ & propè diuinæ venerationis causâ nomi-
no) ipsum honore, dignitate, gratiá, liberali-
tate, non secus ac si ille non humanam sed cæ-
lestẽ aliquam repræsentaret progeniẽ, tractá-
runt. Explicare possem, quanto studio paruuli
noscendo, iuuenes ostentando, admirando se-
nes, omnibus occupationibus relictis ad con-
spectum eius concurrebant; quàmq; iucundũ
erat illum videre cunctis, gloriosum comitari,
loquentẽ audire exoptatum, alloqui familiari-
ter & amicè, in magna parte positum felicita-
tis. Verùm hæc omnia quæ cum multa & di-
uturna delectatione percipi potuissent, tacitùs
prætaribo, libensq; hanc tantam tamq; vber-
rimarum laudum segetem patiar in vestris po-
tiùs cogitationibus relictã, quàm in mea ora-
tione minùs dignè & appositè diffusam reside-
re. Illud tantummodò dicam, cùm nôn è
libris.

libris solùm, sed ex peregrinandi ratione in ijs omnibus, quæ Principi cum decore obeunda sint, affatim imbutus esset; cùm inde, non sicut ille, qui in Regis Macedonis aula tantùm eius saltationes obseruârat; at Solonem, Vlyssem singularem humanę prudentię imaginem imitatus multarum Prouinciarum & vrbibus & institutis varijs, ritibusque spectatis, sese recepisset; cùm optatisimo reditu suo Regnum vniuersum iucundâ perfudisset lætitiâ; cùm itidem virtus eius fastigium attingens, quantum publico rerum statui prodesse posset, nemo ignoraret: illud restabat vt in luce Poloniæ atque in oculis ciuium versaretur, quos summopere amabat: vt artes exercitationesq; suas palàm faceret militares, & maiorum suorum vestigijs insisteret, qui ab ipso in dies singulos magis magisque illustrarentur. Igitur vnà cum Serenisimo Rege aduersus Ottomanici Tyrranni immanitatem, tanquam contra superstitionem, scelus, flagitia, dementiam, temeritatẽ, contra belluã illam Asiaticam auda-

cissima spe atque cupiditate Sarmatiæ imminentem; religione, pietate, constantiâ, omnibus armatus virtutibus profectus est. Atq; vt referunt, olim ab antiquis Celtis ruenti è nubibus tempestati, & præcipitatis ex alto monte torrentibus, scutatam sinistram & galeatum caput fuisse obiectum: sic Princeps hic ALEXANDER, non Celtarum barbarorum, sed Diuorum Sarmatiæ Regum magnanima & generosa proles; appropinquantibus turbidiis Turcarum Lunis, conspirantecq; in nos eorum feritate, & iam in limites nostros formidolosissimè influente: omnē belli molem vel capitis sui periculo sustinere optabat animosè. Quod satis dignum tanta virtute pręconium reperiemus Equites? Felicemnè Regem? illi futurus vel plus erat, quàm Philippo Parmenio, quàm Cyneas Pyrrho, quàm Zopyrus Dario. Felicemné patriam? præsidium ac dulce decus ei allaturus. Felicemné militiam? alterum Philopæmenem siue Quinctium Flamininum in sua vēturum castra augurabatur.

sed

Sed ecce dum omnia verè per ipsum recreari ex metu viderentur, & benigniore fato esse; in ipsa suscipiendorum pro patria periculorum meditatione excessit. O fortuna, quàm semper tui similis es, quàm sẽper tuis ludicris blandimentis, ærumnarum aliquid admisces; nec omninò quidquam esse pateris in rebus mortalium, tam faustum, tam speciosum, quod tu non aliquâ deformes calamitate! O natura non mater sed crudelis nouerca: tu cæteris animãtibus vitam tribuis longissimam; modò, verò Principẽ præclarissimũ in tanta breuitate annorũ, in tãta dierũ paucitate ausa es ex aspectu eripere viuorum. Dederas ei laudatissimas quasq; dotes: concesseras formã corporis, ne dicam, raram in regia domo; cur ergo in tuum tantopere sæuijsti, munus? cur si atrocitatem mutare non poteras, mediocri incõmodo cõtenta non fuisti; cùm præsertim tanti non sint vel vniuersa tua munera, si tam chari capitis iacturâ fuerunt luenda? Claudius olim Marcellus, dum Syracusas maximam Græcarum

vrbium

vrbium pulcherrimamq́; omnium diuturna& graui obsidione cepisset, dumq́; præceps & insolens victoris militis audacia vnam vrbis regionem inflammasset: non potuit misericors imperator illud incendium siccis oculis intueri, sed ita lachrymans effatus dicitur: vtinam caligarẽt oculi, ne tam triste viderẽ spectaculũ. Nos tandem, Equites Poloni, in multò grauiori casu, in huius & tanti Principis interitu, quid faciemus? quas voces edemus? quo dolore & gemitu mortuum prosequemur? Detractum est pulcherrimum vitę ornamentum, ademptum præsidium, sublatum solatium ingens; solus hîc restat nobis dolor, mæror ac gemitus, sola miseriarum luctu afflictarũ adest perpessio. Iacet heu nostra lux, nostrum desiderium ALEXANDER: iacet inclusus perangusto breuique conditorio, totus ad gloriam, ad res maximas natus, ad vtilitatem patriæ, ad splendorem Reipub. factus, ad tuendam, decorandam, amplificandam imperij Poloni maiestatem diuinitùs oblatus. iacet

sæuissi-

sæuissimâ vi morbi profligatus, cuius sapientiâ, iustitia, virtute, æquitate clementia, Regnum hoc defendendum erat, protegendum, atque illustrandum. O flebiles exequiæ, & acerba memoria omnium rerum! In hac vna vrbe ille tumulum habebit, qui prout cunctis erat charissimus, si fieri posset, in omnibus prouincijs, in omnibus Sarmatiæ ciuitatibus. pro maiestate sua esset sepeliendus! Huic vni loco mandabitur ille, cuius fama per terras omnes, per maria, longè lateque diffundebatur! Sed finis sit; lachrymæ enim dolorq; acerbissimus scribenti intercipit stylum, & hic se lachrymis condecorari vetat. Ad Te potentisime VLADISLAE Rex in eo ipso luctu ac mærore communis Patria supplex tendit, ad te mæsta confugit, tibi se tradit, tuam opem implorat; tu spes eius Fratris tui morte debilitatas confirmes, tu salutem conserues, tu libertatem eius legibus atq; armis, vt soles, fortisime & felicisime defendas. Tu verò su-

preme Pater, & Protector noster Deus omnipotens, remoue, precor, à penetralibus Regijs funesta funera; contine vim illam grauissimę dexteræ tuæ; ne addas, obsecro, calamitosis afflictionem, ne vrgeas collapsos & prostratos flebili ægritudine: verùm excita consolationibus orbatos, recrea squallore confectos; vt quemadmodum is ALEXANDER in beatissimarum mentium concilio, in illo pleno syderum, & illustri loco cumulatur perpetuâ voluptate: ita nos Tibi in lætitia seruiamus, tibi gloriam exhibeamus, tuam experiamur benignitatem, tuo nostroque Regi clementissimo, quàm diutissimè viuenti ac triumphanti, alacribus atque erectis animis debita Subiectionis officia persoluamus. Dixi.